

Delirae mirantur anus: it fabula discors 140

Inter nutrices trimis cantanda puellis,  
Nocturnosque loco lemures depellere certat,  
Quid miserande taces, oculisque errantibus alte  
Suspiciis in caelum interdum, modo lumina terrae  
Defigis, patulique stupes hebete oris hiatu! 145  
An ne hoc forte potes? Mentiri non datur uni  
Ergo tibi? Quotus hoc sibi quisque negavit ineptus  
Atque audax? Impune erit. Aude. Atque hoc quoque nescit.  
Q stipes vere ficulnus, inutile lignum!

Tunc ira pariter, motusque pudore superbo 150.

Extemplo coenam multis indicit amicis  
Magna sui pateras inter monumenta daturus.  
Adveniunt plures: discumbunt. At pater et Rex  
Coenae, Lucillae clam multa locutus ad aurem,  
Multaque subridens, multa et ridere paratus, 155  
Magna exspectanti similis jubet, ocyus illa  
Ut patinae tollat majoris operculum, et intus  
Servatas epulas in primis gnava ministret.  
Vix patinae admovit digitos, vesica suilla

Evolat in caelum subito, et laquearia tangit. 160  
Et nunc descriptos huc illuc fertur in orbes,

Pendula nunc medio libratur in aere, qualis  
Stare loco visa est tellus, errare Cometes.

Alta supervolitat capita, affectatque lacunar  
Fumosum sidus, caeli incrementa recentis. 165

O salvete sues! jam et vos dare sidera caelo  
Fas, docti poterint quae dispexisse Conones.  
Omnibus interea domini mens conscientia vultus